

Q. F. F. Q. J. D. O. M. E.

DISPUTATIO PHYSICA;
**CORPORIS NATU-
RALIS AFFECTIONES
GENERALES,**

Exhibens,

Quam

FAVENTE ALTISSIMO,

*Consensu Amplissima Facultatis Philosophicæ
in Illustrissimâ Academiâ Aboënsi,*

DIRECTORE,

Praclarissimo ac Excellentissimo Viro,

DN. M. PETRO HAHN,

Physices Professore Ordinario
Celeberrimo, Mæcenate ac Præceptore, de-
votissimo zelo indefinenter colendo.

*Sobriè Philosophantium palato, Libentis Exer-
citiis gratiâ, modestiâ, quâ par est, defert*

ARVIDUS C. BOLHEMIUS,
Wex: Smol.

Ad diem 21. Aprilis Anni M. DC. LXXXVIII.

In Aud. Max. horis antemerid. & consuetis.

~~~~~  
Impr. apud JOH. WALLIUM, A. T.

*Pl. Reverendo & Clarissimo Viro*

DN. M. PETRO RUBENIO,  
Eccl: quæ Deo in *Stuward* & *Barga*  
colliguntur Pastori meritissimo, in  
Territorio *Gunnerbo* Præp: accu-  
ratissimo, Meccenati ut propensi<sup>ac</sup>,  
ita debito honoris cultu devenerãdo.

*Spectatissimo ac maxime conspicuo*

DN. MICHAELI ZESSENIUS/  
Acad. Aboënsis Quæstori fidelissimo,  
Affini ac Patrono meo, quâ par est re-  
verentiã, perpetim ac jugiter prose-  
quendo.


*Pl. Reverendo ac Doctissimo Viro*

DN. CAROLO BOLHEMIO,  
Ecclesiæ in *Marstard* Pastori di-  
gnissimo, Genitori meo, filiali obser-  
vantia ad extrema fata suspiciendo.

*Reverendis ac Doctissimis Viris*

DN. BRODDONI & DN. SAMUELI  
PAULINIS, in *Skania* Pastoribus vigi-  
lantissimis, Fratribus meis uterinis,  
sinceris, sincerã mente amandis!

SALUTEM, INCOLUMITATEM, OBSEQVIA  
ET OFFICIA!



**P**auperem illum *Aeschinem*, cum multa  
*Socrati* offererentur munera, voces  
 has querulas emisisse ferunt: Ni-  
 bil dignum Te, quod dare Tibi pos-  
 sum inuenio, & hoc modo pauperem me esse  
 sentio. Hec illum non sine causâ pronunciaſſe  
 certum est. Noverat quippe, multis se beneficiis  
 affectum, nunquam tamen aliquid rependiſſe.  
 Nonne mihi quoq; verecundia ſuboriretur, Pa-  
 trons, Pater, & Fratres Optimi cum infini-  
 ta a vobis beneficia reportaverim, quorum cir-  
 culum percurrere mearum nequaquam eſt  
 virtutum. Quid enim tenera, quid juvenilia  
 etas profectus ſolligere poterit, id cura, ac pa-  
 trerna benevolentia Tua, Genitor Optime, totum  
 tribuo, quod reliquam concernit vitam, id ad  
 Vos ſubmiſſo defero animo. Silere quoque  
 non foret honeſtum, beneficiorum iſtorum cu-  
 mulos, quos, & exiguo illo temporis ſpacio, quo in  
 Germania degi, Paterna in me contulit boni-  
 tas, qua ſane, ſi æquâ iudicii lance pondera-  
 re velim, omne tranſcendunt elogium. Creſcit  
 etiamnum favor Tuus erga me, quod multis  
 experimentis, poſtquam ad hoc Bonarum Ar-  
 tium Forum acceſſi, conſtat inſigniter. Veſt etiam  
 favor, Affinis & Fratris. Coenali, ita ſe iam mani-

festavit, ut tenebris oblivionis involvi neque-  
at, quæ de causâ obsequium vobis, non minus  
quam Filiale debeo, Vereor autem ne stylo meo  
levissimo merita Vestra obtenebrem potius quam  
illustrem, idcirco tacite illa veneror & colo. Non  
habeo autem aliquid vobis reddere, nisi animum  
referendi cupidum, in brevi hoc specimen<sup>a</sup> i-  
tentum, benevole accipere velitis. Ne miremi-  
ni, quod ingenii tenuitas non respondeat ma-  
terie sublimisati, quia prima maximorum in-  
star non sunt, nec maxima sine primis esse pos-  
sunt. Primum itaq; ingenii mei fœtum, quem  
seculis nunc dare tentavi candidâ quæso susci-  
piatis fronte. Dum ætas aliquid prudentiæ  
collegit, majora forsân expectabitis. Interim si  
presentia Vobis grata esse ostendatis, non du-  
bito de Vestro in posterum favore. Hac spe  
valete, & favete semper

Vestrarum Dignitatum  
ac  
Nominum

Cultori obsequentissimo ad quævis  
officia devotissimo

A. BOLHEMIO,  
Auct. & Resp.

Præstantissime DN. RESPONDENS,  
Commiles in Castris Musarum,



Magnum est, laudabile  
nimis, & jucundissi-  
mum rerum natura-  
lium studium. Hic  
summa, hic ima, hic om-

nia quæ Creatoris magnificentiam  
ostendunt sese exacte manifestant.  
Inde tantarum rerum allekti svavi-  
tate, post Salomonem, per plures ter-  
rarum Domini, non æque gloriosum  
fore putabant armis imperia subju-  
gasse, justitia gentes composuisse,  
quam disputare de iis, quæ Cælum,  
Aer, Aqua, Tellus cottidie ostentant.  
Sed ipsam amœnitatem, non buccina  
angelica; non Demostenis facundia,  
non Tulliana oratio, possunt describe-  
re; adeo hic sunt plus quam pulcher-  
rima omnia; In alto ambulant stel-  
larum

larum agmina magnitudine, coloribus, ordine exactissimo rutilantia. Hæc ad mandatum Dei dierum & noctium discrimina; mensuram & annorum numeros, fata Regum, Regnorum ætates, hominum prospera & adversa, inclinando decircinant. In campo autem ventorum fiunt collectanea nubium; quæ, jam nives figurant, mox stillant pluviam, iterum grandines vibrant, tandem agitatione, motu, undulationibus, tonitruum jactu, fulminum boatu, & confestim gloriosa pace singula recreant, componunt, vivificant. At in Terreno globo quæ gaudia animalium? quæ varietas plantarum, color, halitus, sapor, medicina? quis gemmarum nitor? quis honor lapidum? quæ metallorum dignitas? quæ humanarum mentium plus quam admiranda discrepantia? pauci devoto Zelo cœlestia amant, plures terrena eligunt, multi motus concitant variisque erroribus diffiant orbem.

orbem eumque exagitant. Præclare  
itaque à Te factum esse judico, quod  
inter pereuntia hæc & peritura, sva-  
vissimum elegeris studium, in quo  
jam quoque mucronem ingenii acuis, ut  
ex fundamento intelligas rerum natu-  
ralium indolem, vices, habitudinem:  
sic quoque fracto cortice obtinebis ve-  
ræ sapientiæ nucleum, quem veteres  
isto elogio mactarunt, NIL ADMIRARI  
Vale.

à Tuo

DAN: ACHRELIO.

In

In Disputationem publicam, de Cor-  
poris Naturalis proprietatibus,  
*Pereximii,*

DN. ARVIDI BOLHEMII,  
Amici perdilecti.

**N**on satis ex NIHILO fuerat fe-  
cisse creatura  
Corpora, sed variè condeco-  
rassse DEO:

Est pia mens eadem quæ sic medi-  
tatur & alto

Spernendo nugas, pectore va-  
sta sapit

Hoc agis Eximium Juvenum decus  
undiq; BOLHEM

Cum de ornamentis, differis o-  
mnigenis

Naturæ: Mundus quævis plenus  
sumus & imus

In quo sunt quævis, mystica  
quanta DEI!

*L. M. quæ*

ANDREAS PETRÆUS  
S. S. Theol. P. P. G. W;



## LECTORI BENEVOLO



*Q*uod in conspectum tuum. B. L. pro-  
 dire hac vice non dubitaverim,  
 pragnanti de causâ factum esse  
 existimabû. Eam enim antecesso-  
 ribus meis declarasti æquanimita-  
 tem, eorum specimina tam benigno adspexisti  
 vultu, ut planè injurius in Te essem, si obla-  
 tâ benevolentiam non uterer, scil: levi quodam  
 Exercitationis genere eandem compensarem.  
 Non est autem quod Eloquentiam aliquam a  
 me efflagites, sententias melle oratoria stillan-  
 tes, elegantiarum sterculos, verborum longam  
 seriem, sed si quasiveris, genus dicendi simplex,  
 incomptum, vile admodum, intus stylum purè  
 Philosophicum invenies; Utut Divinum quod-  
 dam est Ciceronianum esse, malè tamen non  
 semper dicit, qui secus dicit atq; Cicero. Nec  
 materiam, quam tibi offero, tantâ exornare  
 licuit facundia, quanta digna foret, cum bre-  
 vis nobis suscepta Methodus, omnes quasi am-  
 bages prohibeat. Quemadmodum autem ma-  
 teria nostra subtilis est, ingeniumque matu-  
 rum, & exercitatum requirit; Ita subtiles et-  
 iam habet oppugnatores, multa litigia exci-  
 tat, periculosum denique est mentem suam in  
 illa aperire. Sed veritatem perdere non vide-  
 batur mihi opere pretium, illam itaq; cona-  
 tus sum defendere, in quantum ingenii tenui-

tas potuit admittere, non ignarus, veritatem  
odium parere, multosque Neophilosophos  
haud probare industriam, spero tamen nemi-  
ni me praedudicasse in ponendis his quaestioni-  
bus, quia modestè & cum ratione Philosophari,  
omnibus est concessum. Fateor haud imi-  
tus, longè me imparem esse, ad ferendum ju-  
dicium de aliorum laboribus, quod autem li-  
berius nonnihil loquar, arrogantia non argu-  
endum est, quemlibet enim suo sensu abunda-  
re patimur. Interim, L. B. pro insigni illo, quo  
in me es favore, aquam etiam Tuam hic ad-  
hibe censuram. Qua benevolentia obstri-  
ctissimum me Tibi facies. Vale!

### MOMO.

**B**acchæ bacchanti si velis aduersarier  
Bex insanâ infaniorem facies, loqui-  
tur Plautus: Infelici pariter auspicio  
rem gererem ego, si gratiam tuam  
Mome, ambirem. Humanitatem e-  
nim ita exuisti, ut non possis, quin sem-  
pèr dente Tuo malevolo mordeas.  
Dum cavillando pergis me bonis pla-  
cere studebo.



*Domnis scibilis tractationem tria  
 præprimis requiri vel Philosophia  
 tyronibus constare arbitror, nempe  
 attendi debent cause, Affectiones  
 & species, sine his, qui alicujus scientiæ la-  
 titudinem exhaurire conatur, laterem profecto  
 ladat. Nihil enim ita potest esse constitutum,  
 quin suas causas & adjuncta propria habeat,  
 hæc qui tollit mutilam ac mancam reddet scien-  
 tiam necesse est. Quod in demonstrationibus suis  
 accurate observarunt Physici. Sciendum autem  
 est, in frontispicio nostri laboris, dari omnino in  
 Physicâ Affectiones reales, quia reale habent  
 corpus, cui attribuuntur & omni corpori natu-  
 rali vel conjunctim vel disjunctim competere  
 possunt, ut in sequentibus patebit. Argumenta a.  
 pro affectionum existentia afferre vel inutile,  
 vel admodum puerile existimo esse, cum inte-  
 gra de his consignata sint volumina. Si vero qui-  
 dam in re tam clara obicem nobis ponant, illos  
 vel tacite præterimus, vel minime curamus. Li-  
 cet interea nobis agere de his affectionibus, in  
 quantum corpori naturali competunt. Quam-  
 vis nos non lateat, agere de his Metaphysicos, a-  
 gere logicos sed sub alio formalis, per quod omnes  
 discipline constituuntur ac distinguuntur.*

QVÆSTIO I.

An Affectiones sint causæ corporis Naturalis?

**V**ariæ circa hanc quæstionem Philosophorum sunt sententiæ. Scotus in defectu peccat, existimans accidens nullo modo ad productionem substantiæ concurrere, quod *Accidens sit ignobilius quid substantiâ. Forma deniq; immediate producit substantiam. Pererius, substantiam ab Accidente, virtute propria & primariâ produci asserit. Hoc probat (1) Quia ignis sepe generatur non à formâ ignis, sed à solo calore per reflectionem, & attritionem, E. calor virtute propria potest producere substantiam. (2) Calor virtute propria potest corrumpere substantiam, E. generare quoque potest, nam corruptio unius est generatio alterius, probat antecedens, quia calor summus mutat aquam in aerem (3) substantia producit per actionem: actio non est nisi inter contraria: contrarietas enim non est nisi in qualitatibus. Qualitates igitur virtute propria substantiam producent. Liberaliter nimis hæc*

hæc sonant & duriuscule, attamen non  
 defunt alii, qui eandem fovent opinio-  
 nem. Antónius Le Grand. cum de  
 Qvantitate loqvitur, dicit *Qvantitas est  
 præcipuum substantia attributum quod eam  
 constituit.* Quod vero aliquid constituit,  
 illud est illius causa, at Qvantitas, quæ  
 est Accidens, ex illius iudicio consti-  
 tuit substantiam. E. Postrema hæc sen-  
 tentia impossibilis est, nam esse attribu-  
 tum & causam repugnat. Ad veritatem  
 propius accedunt illi, qui substantiam pro-  
 ducere substantiam contendunt, scil. primario,  
 secundo vero Accidens. Substantia enim  
 non agit immediati, verum per qualitates.  
 In eum finem qualitatibus substantiam Deus  
 ornavit, ut per eas efficax esset. Ut se ha-  
 bet ens in esse, ita quoq; in operari, quod  
 esse consequitur, At Accidentia sunt entia per  
 substantias, beneficio igitur istarum quoq; ope-  
 rantur, ac proinde per se sola, nec substanti-  
 am nec Accidens produciunt; sed in virtute  
 substantia, que per accidentia & substantia  
 & accidentia producit. Patet sic nullum  
 accidens posse constituere substantiam

ut causam per se & solitariam, adeoq;  
Affectiones corporis, ejus causæ non  
sunt dicendæ.

QVÆSTIO II.

Proprietates corporis naturalis  
quomodo in genere definiunt  
Physici ?

**D**icunt *Affectiones esse Accidentia corpo-  
ris naturalis, quæ eidem omni soli & sem-  
per insunt vel adsunt ex eoque primariò re-  
sultant per resultantiam naturalem. Sunt au-  
tem Quantitas, Qualitas, Locus & Tempus  
Motus & Quies.* Genus definitionis posset  
quidem absurdum & inconueniens ha-  
beri, quia creditur a nonnullis omni  
corpori naturali minimè attribui posse,  
Generalis autem affectio absque impe-  
dimento omni omninò corpori com-  
petere debet. Ut major horum senten-  
tiæ sit fides, probare ipsam tentant ex  
ipso Aristotele, qui *Quantitatem* vocavit  
*substantiam*, Quantitas autem dicitur af-  
fectio corporis, quæ illud intrinsicè de-  
nominat. Verum possunt hæc benè con-  
cilia-

ciliari, modo sciamus ipsius mentem.

*Quidam in hac sunt opinione, dixisse ipsum  
hac in gratiam Platoniorum, & Pythagori-  
corum, qui res Mathematicas asserbant esse  
substantias. Aliqui substantiam pro essen-  
tiâ hic sumunt. Nonnulli autem ajunt  
Aristotelem res Mathematicas vocare  
substantias, quia licet Accidentia sint, in iis  
tamen scientiis considerentur, non prout aliis  
inhærent, sed prout substant affectioibus  
suis, atq; adeo non prout accidentia, sed  
prout subjecta sunt. Juvabit etiam nos,  
quod substantiæ non possint cognosci  
sine accidentibus, substantiæ enim non  
incurrunt in sensu immediatè, sed illas,  
ex suis propriis cognoscere solemus. Ma-  
net E. quod accidens sit affectionû genus  
proprium & adæquatû, nec potest sagax  
aliquod ingenium hoc mutare, nisi velit  
dicere Accidentes esse substantiam & sub-  
stantiâ Accidentes. Notum est Affectiones  
has non posse per se subsistere, illorum  
enim esse, est inhærerere vel adhærerere.  
Habent quidem existentiam, non au-  
tem propriam subsistentiam. Attributa*

hæc ita corpori sunt propria, ut eidem primario insint vel adsint. Numerum quod concernit statuimus illum nec augendum nec minuendum esse, quia de omni corpore efferre illum possumus, partim conjunctim partim disjunctim. Observandum hic est, motum & Quietem, non facere duas affectiones, sed unam saltêm, quemadmodum, habitus & dispositio in Logicis unam Qualitatis constituunt speciem. Hæc in antecessum notasse sufficiat. Jam aperto tramite, ad ipsas Affectiones pervolvendas, properamus.

Q U Æ S T I O III.

An Quantitas discreta pertineat ad Physicam?

**D**e Quantitate Continuâ, quæ aliàs Quantitas molis dicitur, nullum nobis est dubium, nec sanè Philosophantibus, nisi Quantitatem totaliter exterminent ex Physicâ, tanquam fore impertinenti. Verum hoc ipsis impossibile est facere. *Nam Quantitas conside-*



ratur in *Physicis non Abstractivè*, quemadmodum *Mathesis* agit de *Quantitate*, nec prout est *species seu analogum Entis*, nec prout *summum genus* constituit in *prædicamento Quantitatis*, sed *Concretivè & in actu exercito*, prout est *Accidens corporis*, quatenus ad *mutationes & motus Physicos perficiendos*, requiritur *mobile quantum & continuum*. De *quantitate autem Discreta* tumultus facile cieri posset, cum dicatur: in *Physica* quinque esse *affectiones corporis generalis*, quatuor *corporis causas*, tria *principia Chymica*, &c. Verum docet *Sperl. in Exerc. non spectare illam ad Physicam* quia non est *ens Reale*, nec unum quid per se sed per *aggregationem*. Contrarium *Metaphysici*, inter quos *Scheiblerus*, statuunt, quod *Quantitas discreta seu numerus*, sit *ens reale*, id probat, quod *scientia aliqua speculativa: nempe Arithmetica* agit de *numero*. At illæ *scientiæ sunt reales*, E. debent habere *reale objectum*. Ex *realitate enim objecti* sumitur *realitas discipline*, deinde quia *numerus est aliquid sensibile*, & *quidem per se*, nam *sensilia communia sunt*

*sunt sensilia per se atque sentiuntur per se, non possunt esse entia rationis.* Largimur facile, numerum non esse unum quid per se, sed per accidens, nihil tamen repugnat quo minus tractari possit in scientiâ. Sic allatis rationibus patet, numerum esse ens reale, & objectum diciplinæ realis. Sententiæ hæ ambæ contradictionem involvere videntur. Sed observanda hic primo distinctio inter numerum numerantem & numeratum, posterior quidem datur in Physicis: Numerum seu quantitatem discretam esse & ens reale, & ens rationis docemus, Numerus enim numerans est in & ab intellectu. Ut numerus binarius ternarius, proindeq; non est Physicæ Considerationis prout à materia separatur, numerum vero numeratum sibi vindicat tractandum Physica, Numerus prior rationis ens est, posterior ens reale.

QUÆSTIO IV.

An Quantitas potest separari a corpore seu substantia Naturali.

**U**T Negativa dudum ante hac prævaluit, ita etiam illam nos apprehendimus, quia affectiones sunt propria, propria autem non possunt a subjectis suis, ipsis manentibus salvis, naturaliter separari, sic destructo calore, ignis etiam perit. Supponimus formale Quantitatis consistere in Extensione, ita ut quicquid sit extensum, illud etiam sit quantum, & quicquid sit quantum, illud sit corpus Naturale. *Extensio, secundum Logicos & Metaphysicos est triplex. Entitativa, Localis & Quantitativa*, harum nulla tolli potest a corpore, si modo corpus sit. Et siquidem Physice disputamus, ita etiam illo modo hoc volumus intellectum. Dum potentia Divina hic aliquid tribuimus, adserimus posse per illam Quantitatem Physicam a corpore separari, ita tamen ut remaneat Extensio Entitativa.

A 5

Dum

Dum in his adstruendis occupamur, mentē suam insinuat Ant. LeGrand. ita:

*Quantitas nullo modo potest à Substantiâ separari, adeo, ut mordicus in nostrâ sententiâ asserendum est; Extensionem ita corpori identificari, ut nihil à Quantitate detrahi possit, quin tantundem à corpore auferatur, & è contrâ. Neque obstat, quod nonnulli magis subtiles, quam veri, Extensionem à substantiâ naturali separent, velintque diversam habere naturam, à se invicem potentiâ Divinâ sejunctim posse existere. Alio m. loco p. 167.*

Hæc verba inveniuntur: *Quod dicunt accidentia, non naturaliter sed virtute tantum divinâ posse seorsum à materiâ existere, nullius prorsus est momenti; Dei enim potentia per se & ord. voluntate, non naturas rerum exertit, nec quicquam eis novi impertit. Inquiramus nunc in veritatem primæ sententiæ, quæ faciliè deceditur. Dicimus confundere ipsum notionem substantiæ cum notione Accidentis, & statuere: substantiam & Accidens esse unum & idem, quod nunquam a nobis concessum est, nec potest evinci. Blasph-*

phema deniq; contra Deum ipsum profert verba, & potentia<sup>e</sup> ejus absolutæ aliquid detrahit, quâ quodocunq; vult, transcendere cursum naturalem potest. Concedimus quidem potentiam Dei naturas rerum non evertere, quod autem supergrediatur naturam, tamen natura rerum manet integra. Quemadmodum sublatâ quantitate, non statim interit corpus, quia Deus illud absque aliquâ Extensione conservare potest. Bene tamen remanet in corpore Extensio Entitativa, ut insup. patuit. Hæc ad positam quæstionem sufficiant. Plura qui desiderat consulere potest Scheibl. Vend. & alios, qui quæstionem hanc ad Theologiam etiam trahunt.

QUÆSTIO V.

Quid de Maximo, & Minimo in natura sentiendum est?

Omniem Quantitatem suos habere terminos Moderni Philosophi haud segniter observarunt; unde infinitum nullum

nullum corpus volunt admittere, sed  
 Maximum & minimum defendunt.  
 Illud autem quid sit, non dubitamus  
 quin veram isti habeant Opinionem,  
 qui Aquas supra Cœlestes Maxima  
 & Atomos Minima in Natura corpo-  
 ra statuunt. Quamvis autem hæc in  
 se clara sint, interim tamen hic se ex-  
 ercet Le Grand. inquiens: *Impossibile est  
 ut aliqua partes dentur ita subtiles, e. g.  
 Atomi, que sint corpora, & que habere  
 aliquam Extensionem concipiantur, ut sint  
 indivisibiles, cum esse extensum & indivisi-  
 bile repugnet; ita indivisibilia si que dari pos-  
 sunt, corporis compositionem non ingrediuntur  
 cum in corpore nihil reperiat, quod longi-  
 tudine, latitudine & profunditate non con-  
 stet.* Nos quidem statuimus Atomos  
 esse indivisibiles, indeq; tamen non se-  
 qui, Atomos non esse corpora,  
 quia si infinitum a Physica exulare veli-  
 mus, debemus aliquod corpus statuere  
 indivisibile, divisione scilicet, Physicâ. Nul-  
 lum a. corpus indivisibilitati magis a-  
 ptius est, quam minima atomus, in quâ  
 subfi-

subsistere nos jubet natura, donec sagax aliquod ac subtile ingenium aliam nobis viam aperuerit. Sed Secta illa nondum orta est, quæ aliud investigare potuit. Dicimus porro non infrequens esse Ant. Le Grand, quemadmodum ipsemet fatetur, introducere etiam in Physicam principia sua Mathematica & velle naturæ effectus per illa ostendere, quod tamen injustum est. Plura de Quantitate hic adducere vereor, cum non otiosum solum foret, sed & sequentibus affectionibus impedimento. Itaque allatis hisce brevibus contentus sum.

### QVÆSTIO VI.

Quomodo Qualitas corpus Naturale afficit, & quomodo definienda est?

UT facilius nobis evadat doctrina hæc de Qualitate, generalem imprimis eundem definitionem necesse habemus, cum omnes Qualitates in specie evolvere, prolixissimi esset laboris, & parti  
spe-

speciali Physices potius competeret. Est itaque *Qualitas Affectio intrinseca corporis Naturalis, quâ illud aptum est ad agendum vel patiendum.* Agere autem & pati corpora per *Qualitates*, haud difficile est probatu & optimè ex frequentissimo Physicis axiomatico constat: *Nulla substantia creata est immediatum actionum suarum principum, sed medium amat, per quod ejus operationes perficiantur.* Sic ignis agit beneficio caloris. Astra influunt in hæc inferiora, non per se ipsa sed per suas qualitates. Afficit autem *Qualitas* corpus Naturale intrinsecè, quemadmodû & *Quantitas*. *Agimus autem hic de Qualitate, non in sensu Metaphysico vel stricto, quatenus peculiare Accidentis genus est. Nec de Qualitate quâdam Habituali, sed Actuali, quæ πρῶτος corpori Naturali convenit. Brevitèr, consideramus hic Qualitatem latissimè, quatenus proprium est, seu affectio corpori Naturali proportionata.* Adserimus proproportio potèntiam esse *Qualitati* ad agendum vel patiendum, contra quosdam Recentiores Philo-



Philosophos, qui omnia hæc, quæ de Qualitatibus dicuntur, pro figmento habent, cum formam substantialem, cui superstruuntur Qualitates, non agnoscant. Hinc asserunt nihil, v. g. *Esse durum vel molle, grave, vel leve, in se & sua naturâ, sed respectu tangentis aut portantis, cum nos sensibus nostris cognoscamus saltem partes alicujus corporis tactui non cedentes, propterea illud durum vocitemus, cum tamen contrarium non sequatur, aërem, v. g. quoniam tactui cedit, esse corpus Molle.* Hinc asserit Cartesius malè concludere homines ignem esse calidum, quod ab illo calefiant, fallique sensus dicit, *& homines per illos, quibus natura sensum dedit, non ut per illum in cognitionem essentia alicujus rei deveniant, sed ut tantum ostendant composito quid amplectendum & quid fugiendum.* Sed opponimus Cartesio ipsam experientiam, si ipsum fallant sensus accedat ad ignem, & efficaciam sentiet summam. Simile absurdum nectit Ant. Le Gr. de gravibus & levibus dicens: *Supponendum est corpora nullam inclinationem naturalem habere*

*bere ad ascensum vel descensum, sed ad utrumque indifferentia esse, adeò ut immota in Aëris medio remanerent, si a nullis aliis corporibus impellerentur. Cum nulla succurrat ratio, cur in unam potius partem, quam aliam ferantur. Quare necessum est, ut à peregrino agente ad motum determinentur, ac proinde illa corpora dici gravia, quæ ab aliis deorsum truduntur. Levia verò, quæ sursum ab aliis evehuntur. Speciosa quidem in frontispicio hæc videtur sententia, & posset facili negotio molestiam alicui imperito creare, attamen cum mens nostra fuerit aperta, ultrò in lucem prodibit ejus falsitas. Dico, velle ipsum e-  
 quidem, naturam rerum evertere, quod tamen ipsi impossibile, secundum illud: Naturam, licet expellas furcâ tamen ultrò recurrit. Hæc est mens nostra, quod gravia semper deorsum ferantur naturâ, nec potest hæc inclinatio naturalis gravibus citra essentiæ destructionem auferri, quia immediatè ex ipsâ fuit essentiâ, actu nihilominus incolumi manente essentiâ, & præsentè actu  
 primo,*

primo, s. potentiâ proximâ , non semper deorsum feruntur gravia, sed vel secundû aut præter naturã quiescunt, vel contra naturam ab extrinsecoco motore sursum moventur. Gravita itaque five quiescant five moveantur, secundum aut contra naturam, gravia sunt semper, vel actu primo vel secundo, homo, five ratiocinetur five non, semper tamen est rationalis. *Nam sublato actu secundo, non statim tollitur primus. Quamvis ab Extrinsecoco & Violento principio corpora mota descendant, manet tamen illa potentia naturalis ad ascensum vel descensum, adeoq, natura sunt gravia vel levia.* Dixerat insuper Le Grand: *gravia non habere motus sui principium internum.* Si hoc dogma admitteretur, sequeretur hoc absurdum, quod nulla ratio dari posset, cur graviora velocius descendant quam minus gravia, quod tamen Experientia non negat. Si corpora essent indifferentia ad gravitatem & levitatem, tum nullum fuisset miraculum vel insolitum, quod ferrum aliquando innataverat aquis,

tempore scilicet Elizæi. Habere gravia principium motus sui internum, prolixè satis probat Vendelinus, ad quem plura cupientem ablego.

*QVÆSTIO VII.*

An dentur Qualitates in Physicâ,  
quæ sint Accidentia realia?

Videtur hæc quæstio, nullius quasi momenti ac ponderis, adeoque a physicis intacta fermè. Verum propter Recentiorum quorundam nova dogmata digna est in quam inquiretur, si enim principia nostra labi patimur, facile etiam corruunt fundamenta his superstructa. Priusquam autem a fundamentis seduci nos patiamur, firmissima & immotæ veritatis argumenta audire lubet. Haud obscure quidem ex superioribus patuit, quæ nobis de Accidentibus realibus sententia fuerit, quam etiamnum defendimus contra adverfarios, qui pro destruendis Accidentibus realibus, sine aliquo fundamento firmo, speciosa nobis sistunt judicia.

**Acriter**

Acriter nos invadit insignis ille Cartesianus Ant. l. G. qui non semel nec prima vice absurdus mihi nonnihil videtur, dum ait; *Non posse se percipere, quare Aristotelici tanto conatu Accidentia in mundum introducant, cum si talia darentur, a nullo sensu percipi possent.* Ad hæc rehero: a sensus nostri infirmitate ad destruendam rei veritatem non licet argumentari. Ratio magis hic ponderanda venit. Verum ut facilius obtineat quod vult, opinatur: *Omne quod reale est, aptitudinem involvit, ut existat, ac proinde substantia est, cum per substantiam, nihil aliud intelligi possit, quã res quæ solo Dei concursu indiget ad subsistendum.* Quod quam verè Accidenti competat, nullus negabit, qui agnoscat Accidentis reale quoddam esse, separatimque à substantiâ existere posse. Præterea, quicquid a nobis evidenter & distinctè cognoscitur, id verum est. Atque clare intelligo Accidentis esse Ens reale. E. Accidentis substantia dicendum, cum nihil aliud in conceptu substantiæ includatur. Majus enim argumentum adferri non potest, ad probandum

*duo Entia esse eadem, quam dicere unam de  
 finitionem eis competere. Verum egregie  
 res expedita non est, ut ille opinatur.  
 Prolixum foret omnes hujus senten-  
 tiæ inconsequentias recensere, itaque ut  
 lucremur tempus, ipsi hoc opponimus  
 argumentum. Qui confundit distin-  
 ctissima, ille perperam Philosophatur:  
 Atq; Anton. Le Grand. Ergo Quis  
 enim non videt dari inter Accidens &  
 substantiam reale discrimen? hoc enim  
 suadet ratio & experientia, cui contra-  
 dicere vanissimum est. Si ipsius admit-  
 tenda esset assertio, infinita inde  
 pullularent absurda, e. g. doctrinam  
 in homine esse ipsam hominis sub-  
 stantiam, peccatum aliquo modo pa-  
 riter, quod in ipsam S. Sacram im-  
 pingit & Hæresin sapit. Non licet au-  
 tem Physico statuere aliquid contra  
 Scripturam S. & Articulos fidei. Adhuc  
 otiose negotiosus est Le. Grand. dum  
 hæc profert: *Neg, qualitates, quas vocant  
 reales, benigniori oculo a Phisicis recipiende  
 sunt, cum certe mihi sana Philosophia repu-**

gnare videantur, & intelligi non posse ab iis, qui eas admittunt. Nam quis unquod rem unam percipere potuit ab alterâ, cui non est distinctam & nullam tamen existentiam, nisi dependenter ab ea habere. Omnis autem res propriam habet Existentiam, quod autem Existentiam habet, extra cogitationem nostram est & in natura rerum, ac proinde Accidens non est. Negamus, ac pernegamus hanc sententiam, quippe quæ falsâ hypothesi innititur; Quamvis Accidentia existant, quod nullus adhuc negavit, at tamen non habent propriam subsistentiam, vel substantiæ sunt. Breviter hæc omnia cadunt, dū distinguimus inter existentiam & subsistentiam, prior Accidentibus competit, posterior non. Falsum sic est Accidentia posse per se subsistere, nec unquam probari potest, substantiam & Accidens habere eandem definitionem. Sponte hæc jam cadunt & aperte falsâ sunt quæcunquæ tandem afferunt adversarij. Monent postulata quedam Physica, quod nihil sit præjudicijs dandum, nec temere desperandum.

*Nec aliquem facile rejiciet quis, nisi meliora doctus. Nullius tandem auctoritati mancipare nos debemus.* Amicus Aristoteles, Amicus Cartesius, magis tamen amica veritas, quæ in omnibus rerum naturalium essentijs studio est inquirenda. Hanc veritatem ego lector, dum Qualitates & Accidentia realia defendo.

### QVÆSTIO VIII.

**An deceat Physicum confugere nonnunquam ad occultas quasdam Qualitates.**

**R**eceptum dudum est in Scholis Physicorum hoc dogma, quod omnes naturæ effectus explicare impossibile sit, unde omnia ad qualitates manifestas deducere velle, summa est impudentia. *Sane impossibile est, consentiente Sengverdo in Coll. Phys. intellectum parem esse ad omnia singularia percipienda,*



& *Physices certitudinem in eo fundari scienti-*  
*fificam, quod illa sit possibilis homini conne-*  
*ctionem causarum cum rebus cognoscenti, quis*  
*autem se certum reddet, quod omnia con-*  
*formiter nature rerum cognoveris. Qua-*  
*litates, de quibus loquimur, dicuntur oc-*  
*culte, non in se, sed respectu imbecillis*  
*nostri intellectus, ita, ut occultas dica-*  
*mus illas, quarum effectum & mo-*  
*dum agendi non compertum habemus,*  
*quia oritur à qualitate occulta. In-*  
*genij autem sui solertiam jactare non*  
*fustra videtur Anton. Le Gr. & suam*  
*sapientiam indicare, inquit: Quo-*  
*rum Qualitates, tanquam res à substantia rea-*  
*liter distincte ab Aristotelicis recipiuntur: A-*  
*lia profecto ratio non occurrit, quam ut*  
*his larvis ignorantiam suam celent, & quod*  
*eos fugit magnifico vocabulo se intelligere*  
*præ se ferant. Unde, si interrogentur, cur*  
*medicamenta E.g. purgent? illico audies: quia*  
*specificam habent Qualitatem. Quare magnes*  
*ferrum attrahit? aut versus Mundi polos obverti-*  
*tur? Quonia occulta à qualitate imbuuntur. O! Ter*

*quæterq; Philosophos, qui norunt Magnetem  
 ad polos Mundi dirigi, ignem calidum esse,  
 carbonem atrum, mel dulce, bilem amaram;  
 propter insitas illis qualitates, sed ignotas,  
 & mentis nostræ captum fugientes. Præter  
 ea, quæ superius adduximus, importu-  
 nitatem L. G: ostendere placet: libera-  
 liter nimis loquitur, dum qualitates oc-  
 cultas azylum ignorantia appellat, be-  
 ne tamen quod a mea vel Tuâ igno-  
 rantia ad qualitatem occultam non li-  
 ceat concludere. Non cavillari decet i-  
 ta, res etenim Philosopho non in-  
 digna est, nescire quædam, ex imbe-  
 cillitate intellectus humani. Dicat mi-  
 hi quis, si rem non recte perceperit,  
 quorsum confugiet nisi ad causam ali-  
 quam hujus effectus ignotam? sed con-  
 fidenter asseris: Percipio, E. est verum.  
 Unde autem scis accurate te rem per-  
 cepisse? regeris quia idea vivaciter  
 menti meæ sistitur, sed forte an per fi-  
 ctionem inhæret, per præjudicium si-  
 ne fundamento. Peccant sic nimia  
 confidentia. Insigne nobis inde fulcrum  
 acce-*

accedit, quod substantiæ sibi non contrarientur, omnis enim pugna Qualitatum erit, a quarum contrarietate tanquam effectu ad causam contrariam, quamvis occultam, argumentari omnino licet. Nihil denique scientiæ derogatur, quod nobis quædam lateant, nec est, quod quisquam nostram Philosophiam exinde increpet, sed si tentet, propter argumentorum suorum infirmitatem, præstare impotens erit. Plura de qualitate hic cumulare non permittit temporis ratio. Sed ordine & jure pervenimus jam ad tractationem de loco, quam brevibus absolvemus.

### QUÆSTIO IX.

Locus & Locabilitas indifferenter, pro Affectione Corporis Naturalis habentur?

Antequam aliquid hic decernamus, ponere non pigebit ipsam definitionem loci. *Locus est Affectio Extrinseca Corporis Naturalis, quâ illud occupat suum spatium longum, latum & profundum*  
 Rectè

20  
Recte in hac definitione asseritur, locum esse Affectionem extrinsecam corporis, ad removendam divisionem illam loci: in Internum & Externum. *Locum autem Internum appellare solent habitudinem partium ad se invicem, qui locus non nisi cogitatione nostrâ ab externo differt.* Extrinseca vero affectio realiter à corpore differre debet, unde nullus iste locus, qui cogitatione saltem percipitur non autem reverâ est. Concedunt Phisici locum separari posse à corpore, quod non fieret si non realiter differret ab illo. Locum vero corpus extrinsecè afficere ex ipsis ejusdem proprietatibus, haud difficile judicatu est. Dicitur enim locus immobilis, corpus autem mobile, &c. Dictum erat locum esse affectionem corporis, sed substantiæ immateriales & spirituales etiam sunt in loco. Verum hæe improprie sunt in loco & secundariô, corpora autem omnia proprie, & primario. Corpora enim nec possunt esse ubique, nec  
nullibi,

nullibi, ergo in certo, proportionato ac  
 determinato sibi spatio. Argumenti con-  
 nexio, ex sufficienti partium enumera-  
 tione, immota stat. Hisce jam præmis-  
 sis, ad decidendam Quæstionem propi-  
 us accedimus, ubi de æquipollentiâ lo-  
 ci, & locabilitatis quæritur. Fatemur  
 quosdam pro loco locabilitatem substi-  
 tuere, sed horum subtilitas se ipsam re-  
 jicit, quando locabilitatis vocabulum,  
 possibilitatem saltem essendi in loco im-  
 portet, non autem ipsum actum præ-  
 sentiæ, qui tamen omni corpori natu-  
 rali est necessarius. Absurdum est di-  
 cere possibilitatem essendi in loco esse  
 affectionem corporis, quia quæ non  
 dum existit, sed potest aliquando ex-  
 istere. Prolixius hanc quæstionem tra-  
 ctare, non videtur operæ pretiū, nec vo-  
 lumus hic novam incipere controversiā,  
 de definitione loci Aristotelica, quip-  
 pe quam solide refutavit Sperlingius, &  
 loci rationem in spatio consistere dixit,  
 quod argumento probat invictissimo,

*Cuius*

*Cuicunq; omnes loci conditionis vere competunt, id pro loco habendum atq; spatio E. Quid amplius de loco censendum est patebit in additamentis.*

*QVÆSTIO X.*

**An omnia corpora Naturalia  
Tempus necessario requirant,  
adeoq; illud Corporis quædam  
Affectio sit ? Aff.**

**D**emonstrari facile nostra assertio exinde potest: Nam quod existit ita, ut initium & finem habeat Id in tempore est. Atq; corpus N: ita existit E. Est a. tempus non affectio motus, sed C. Naturalis, quantumvis ad motum, & quitem *deusipus* refertur. Hinc illa exceptio Peripateticorum: Omnem motum necessario perfici in tempore, adeoq; tempus ipsum esse affectionem motus, nulla est: quies enim æque mensuratur tempore ac motus. Et sic esset quoque affectio Quietis, verum affectionis Affectiones non concedimus,  
ne

ne progressus fiat in infinitum. Sed non dormit custos. Res quamvis in se sit perspicua scrupulum tamen quærit Ant: Le Grand. maximo conatu evertere hanc assertionem cupiens, dum asserit part. v. pag. 211. *Quod tempus non sit rerum creaturarum affectio, sed saltem modus cogitandi merus, seu externa in illis denominatio, quam Ens rationis appellamus. Nam sicut res a mentis nostræ operationibus cognita, intellectæ, definitæ appellantur, quarum tantum sunt objecta: ita Tempus, quo rerum creaturarum existentiam metimur, tantum est respectu earum denominatio Extrinseca & cogitandi modus, durationi explicandæ inserviens. Nulla hic ipsum alia ratio exagitat, quam quod Tempus non sit Ens reale quod tamen nondum obtinuit. Est equidem Ens reale, non Permanens sed successivum, ideo nos dicimus Tempus vere afficere corpus, scilicet Tempus præsens, nec enim quod fuit, vel futurum est corpus nunc existens afficere potest. Subjungo sic Temporis definitionem:*

*Tem-*

*Tempus est Affectio corporis nat. extrinseca, qua duratio illius in se indistincta, juxta motum Corporum Coelestium distinguitur. Duratio vero & Tempus non sunt synonyma, quia tempus est species durationis, unde, tanquam latius & augustius distinguuntur. Tempus sic definitivisse, satis est jam de eo scripsisse.*

*QUÆSTIO XI.*

**Solus ne Motus, aut Motus & Quies conjunctim corpus Naturale afficiunt?**

**C**um non solum Physicorum rationes, verum etiam ipsa Natura spondeat, Motum non esse sufficientem ad exhauriendam totam latitudinem corporis, idcirco rectè ipsi adjungim<sup>9</sup> Quietem, & sic integra erit Affectio. Hoc probamus sequenti argumento: *Quæcunque affectio sine opposito non est sufficiens ad exhauriendam latitudinem subjecti, ea disjuncta est. Sed Motus sine opposito. & Minorem non difficile erit probare, cum nec Cælum nec Terra moveantur, sed*  
*natura.*



naturaliter quiescant, contra quosdam Recentiores, imprimis Cartesiu & ejus sectatores. Siquidem igitur motus & Quies sint una affectio disjuncta, nihil obstare arbitramur, quin Generalem utriusq; definitionem sub uno momento comprehendere possimus. *Motus igitur & quies Constituant Affectiorem Disjunctam Corporis Naturalis, quâ alium atq; alium locum acquirat, vel illum plane non mutat, sed in eo persistit.* Hæc definitio Ant. L.G. non adeo placet, unde vulgarem illam appellat: *Quia colligimus inde unum corpus posse eodem tempore locum mutare & non mutare: Exemplo Naucleri, qui eodem tempore quo, clavo affidet locum mutat respectu litorum, quæ prætervehitur, non mutat respectu situs sui in navigio, nam semper stat apud clavam.* Sed hæc sententia nobis non valde absurda videtur, dum diversum respectum accurate attendimus. Missâ definitione divisiones Motus, quas Sperl. adduxit, rulinemus. Has non agnoscit L. Grand. Sed saltem circularem motum, adeoq; dicit: *Nullum corpus mo-*  
*veri*

*veri nisi per circulum.* Definit Motum circulare per Sperlingius, quod fiat per circulum, & distantiam suam a Centro Mundi non mutet. Subsumimus, ex mente Ant. L. G. planetæ, seu stellæ erraticæ non servant suam distantiam a centro mundi; E. non sunt corpora Naturalia? vah! insignis consequentia. Necessum igitur est, ut divisiones receptæ probe observentur. Motum violentum non vult tolerare Le Grand, cum res *Naturales existimet ad motum & quietem indifferentes esse* pag. 291. Itaque quod Terra moveatur, sentit fieri Motu naturali, quod absurdissimum est, *quia non a se ipsa, sed a Cælo fluido ipsam circumambiente movetur*, ut ipsemet fateatur pag. 285. Quod autem movetur motu Naturali, a se ipso movetur, & quod movetur motu violento ab alio movetur. Et probamus hoc: quod a causâ Externâ movetur ab alio movetur, quod motu violento movetur, a causâ Externâ movetur, E. quod movetur motu violento, ab alio movetur. Ex his satis constat

constat Terram non moveri motu Naturali. Colophonis loco, & Occasionaliter saltem in Motum Terræ inquiramus.

QVÆSTIO XII.

An Antonius le Grand novis suis rationibus Terræ motum stabilire possit?

**F**also sibi imaginatur, Aristotelem, si bis videret temporibus in sua verba juraturum, & se ipsum refutaturum, quod ipsius Arbitrio relinquere facile possemus. Verum nos nunquam eo inscitiae perventuros credo, ut hac ratione cum Aristotele conveniremus. Arguēta quæ proponit L.G. vanissima videntur. Dicit enim non debere nimium sensibus confidere; Sed tum proprio seipsum gladio jugulare videmus. Conatur quidem argumenta nostratum pro Terræ immobilitate refutare ac resolvere, sed infausito successu. Quamvis etenim vellemus ipsi gratificari, tum prohibet id ipsa sacra pagina, quam perversissime explicat,

C

ignarus

ignarus se non debere inferre quodpiam novi in Scripturam, sed sensum S.S. ex scripturà reportare. Qui rationes ejus scire amat, legere potest Partis 6. Art. 4. pag. 290, Nos iam instituti ratio monet, ut pedem hic sistamus, quamvis decuisset longius hæc circumscribere, quod dignè haud fieri posset, nisi integrum consignetur volumen. Interea, Candide Lector, si niveo hæc pectore perlustraveris, felicissima Tibi fata precamur!

---

ADDITAMENTA.

- I. *Quantitatis comes Figura est. Nulla tamen ejus efficacia.*
- II. *Magia Naturalis, quãvis locum habeat inter Affectiones, non tm. est corporis affectio.*
- III. *Cælum supremum etiam est in loco.*
- IV. *Corpora naturalia mensurantur motu siderum.*
- V. *Tempus, nec longum nec breve est.*
- VI. *Singule Affectiones sunt Accidentia Realia.*

GLORIA LAUSQUE TRINUNI.

*Pereximie DN. RESPONDENS,  
amice integerrime.*

**Q**uod nã est illud quod avidè expectãt  
parentes, & sollicitè desiderant præ  
ceptores? in studiis profectum; dicerem  
& fortassis non prorsus inconvenienter  
in hoc similes esse parentes, suam pecu-  
niam mutuo aliis Exhibentibus; hi ut  
semper intendunt mutuo datæ pecuniæ  
fructum, usuram, ita illi non immerito  
de suorum sumptuum fructu luxuri-  
are gestiunt, quem faciunt in re litera-  
ria filiorum accrementa; hinc ille stimu-  
lus qui instimulat illos, ut liberalius con-  
tribuant in sublevationem studiorum fe-  
licius ac citius perficiendorum. De præ-  
ceptoribus quid dicam? Vigiliæ, lucu-  
brationes, ob salutem discipulorũ susce-  
ptæ, quid nisi testes de sollicito profectu-  
um desiderio. Sed quod non omnes  
parentes & præceptores hæc sors ma-  
neat, restantur eorundem. Querulæ vo-  
vices, hinc frustra omnes impensæ,  
frustra omnis informatio utut fidelior  
fru-

frustra spes patriæ cui studia juvenum  
consecranda, collatæ. Tu autem per-  
eximie Dn. Respondens mereris re-  
ferri in numerum eorum qui satis-  
faciunt Expectationi parentum, voto  
præceptorum, spei patriæ; Quando di-  
sputationem Egregiè Elaboratam mit-  
tis in patriam. Non est quod pœ-  
niteat parentem consilii, quò placuit  
te Rostochium transmittere pro soli-  
diori eruditione superstruenda funda-  
mentis in Gymn. Wex: jactis; Quam-  
quam tibi non licuit specimen aliquod  
tuæ industriæ edere, de quo jam tri-  
umphant Musæ Abodicæ, pronus sub-  
levavit, pronior sublevaturus est tua  
studia jamjam ad maturitatem pro-  
pendentia, modò eadem sis diligentia  
in Cæteris, priusquam ad metam  
pertingas, præmittendis, de quibus fru-  
stra dubitatur. Vale.

*SVENO M. ARELIUS.*

*Wex: Smol.*

Per-

Pereximie DN. BOLHEMI,

**D**octrinam moresq; Tuos Tibi gra-  
tulator, atque  
Fauſta precans ſemper maneo Tuus in-  
timus ipſe.

*Πολύνοιον μάγισ ἢ μάλογοίαν  
ἀμάνς ράπτιμ ἀποſοίτ*

PETRUS LINSTORPHIUS;  
Wex: Sm: Stip. Reg.

---

Pereximie Dn. Reſpondens!

**N**aturam homini dediſſe ingenium cogno-  
ſcendi avidum, non ciceroniana tantum  
auctoritate, quæ apud eos, quibus de ingenijs  
judicare datum eſt, haud ultimam ſortita eſt  
ſedem, adſtruitur; verum etiam experientia  
rerum magiſtra corroboratur, cui Ariſtoteles  
ſuffragatur, dicendo: πάντες ἀνθρώποι τῷ  
εἰδέναι ορέγονται φύσει. Preſertim ea quæ ſunt  
minus obvia vel nota, Et quanto quis vulgum  
ſuperet animo, tanto magis velle ſcire ea, quæ  
ſunt abſcondita, rara, ignota. Iſt hoc ſtudi-  
um allexit alios ad perſcrutanda nature ſe-  
creta, quidquid occultum latet in terra vi-  
ſceribus, quidquid opertum fluctibus aqua-

*rum.*

rum, in lucem protractum est. Isthoc studio ipsum cœlum mente penetrarunt ut intelligeretur, aliquid ne ultra ipsum seposuisset conditor & stator universi. Isthoc studio Tu pereximie Respondens allectus in altiore[m] harum rerum naturalium cognitionem ascendendo, egregiam, quæ ne momo quidem displicet, conscripsisti dissertationem. Insignes proinde in hoc amœnissimo studio progressus, elegantesq; vite mores, qui te non uno nomine æquis virtutum æstimatoribus de meliori notâ commendarunt, merito tibi gratulor, mihiq; gaudeo, gaudebit etiam pl: Reverendus tuus Dn. Parens, doctrina & senio gravis & de Ecclesia Christi optime meritus; certe si ita ut cœperis porro perrexeris infallibili ore felicia fata tibi præsagire ausim. De cetero vota semper nuncupabo calidissima velit Deus studiis tuis clementer benedicere, quo in ejus indefinentes laudes, publicum commodum & privatam gaudium cedant vergantque.

Gratulabundus adjecit Tuus intimus

ISRAEL KIELBERG,

Wex: Smol.



*Gloria Altissimi*